

tiam ita intelligit, Calvinus ita, Zwinglius sic. Cui ergo tandem credendum? Nonne antiquitati et illorum patrum communi sensui, qui ante nos in vera Ecclesia fuerunt? Cum quaeritur de statu Romae veteris et litigatur ex historia Livii, verbi gratia, qui arbiter adhibendus? Num recentiores scriptores? An vero antiquiores qui tunc Romae vixerunt?

Tertio, dum omnibus etiam rusticis plenam faciunt potestatem legendi et intelligendi biblia, imo etiam jubent; quod est dare pueris cultros, quibus ipsi se conficiant. Sic enim S. Petrus, II. ep. c. III. ait in epistolis S. Pauli esse: *Quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Et talibus nos prohibemus lectionem bibliorum, qui scilicet indocti sunt et instabiles, nec Ecclesiae se subiciunt, sed pro capite suo Scripturas exponere volunt.

Quarto, dum Scripturas pervertunt et perperam exponunt. Lutherus enim ex 1. Thes. IV. *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, abstulit sequentia verba: Ut abtineatis vos a fornicatione, quia scilicet male cohærebant cum ejus dogmate: Si nolis uxorem, veniat ancilla.* In epistola Pauli ad Rom. c. III. *Arbitramur hominem justificari per fidem,* addit, *solum.* Et cum de hoc carperetur, respondit: *Papistam et asinum idem esse. Sic volo sic jubeo, etc.* In ep. Jacobi, c. II. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus?* ait apostolus, Lutherus reponit: *Ostende mihi fidem tuam cum operibus?* In II. Petr. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; omittit id: Per bona opera.* Idem Psal. LXXV. ad id: *Vovete et reddite Domino Deo vestro;* glossa: *Habete Dominum pro Deo vestro.* In simbolo apostolorum, pro Ecclesia catholica reponit christianam; quia scilicet vidit suam non esse catholicam.

Quinto, dum pessime Scripturam explicant, et per hoc pessima et pestilentissima dogmata docent, quibus animas simplicium necant. Quale est: « Deum esse causam peccatorum, jubere, præcipere, simul perpetrare; hominem non habere liberum arbitrium; non posse observari decem præcepta; bona opera nihil nobis prodesse. imo peccata esse; neminem damnari ob quantacumque peccata posse, nisi ob solam infidelitatem; imo vitare peccata obesse Christiano; licere marito adulterari cum ancillis, et similia. » Blandiuntur hisce dictis ut ore suo scorpio, sed cauda venenum inserunt.

Sexto, dum seligunt et afferunt tantum Scripturas, quae ipsorum capiti et ventri favere videntur, adversas vero reticent; proferunt eas, quae de conjugibus loquuntur, tacent quae de virginitate. Proferunt eas quae de laude et præconio fidei; tacent, quae de necessitate honorum

operum; proferunt quae de libertate spiritus, tacent quae de obligatione mandatorum; proferunt, quae de ciborum munditie et concessione, tacent, quae de jejunio; proferunt quae de Dei misericordia, tacent quae de Dei justitia. Ut enim laena, cum pro catulis foeta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat, ut scribit, Plin. l. VIII. cap. XVI. Ita illi a Scripturis, quibus feriuntur, avertunt oculos. Hinc suis omnibus salutis securitatem promittunt: en mel in ore, sed fel in cauda scorpionis. Tacent quod ex nostra parte requiritur; quae conditio an a nobis expleatur non constat nobis. Itaque vobis, o miseri, quicumque in hæresi degitis, dictum credite, quod Isaias, cap. III. dicit: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Sentietis aliquando scorpionis vobis oblatis venenum in ultima illa hora, quae præsentabit vos divino tribunalii. Quam enim habere fiduciam salutis et securitatem queat, qui tunc temporis recordatur salutem ivisse viam, bonis operibus non studuisse, nova dogmata secutum esse, viam et fidem, saltem suspectam tenuisse. Fatetur sane ipse Lutherus ad duos parochos de Anabaptismo; rursus de missa privata et unctione sacerdotum, in papatu esse veram Scripturam et evangelium sincerum in cancellis, veram absolutionem et veras claves ad remissionem peccatorum, verum sacramentum altaris. Nos veros ostendimus hæc omnia apud hæreticos non esse. Cur ergo saltem non tenetis certum et dimittitis incertum: præsertim in re summi momenti? Si enim vestri conficiunt, et dant (ut putatis) vobis verum Christi corpus in sacramento, multo certius nos: si ipsi vere absolvent, multo certius nos. Si ipsi pro se habent Scripturas, multo magis nos, qui præterea etiam habemus consensum antiquitatis, et communem patrum interpretationem: *Tene ergo certum et dimitte incertum,* ait Augustinus. Sane si tibi ex una parte offerretur piscis, quem certo agnoscis, ex altera vero anguilla, de qua dubitares, piscisne sit an serpens: an tu malles hanc arripere quam illum? Ergo si ad salutem corporis adeo solerter attendimus, par est ut salutis animæ multo magis invigilemus.

### CONCIO VIII.

QUINAM ILLI PARENTES, QUI PORRIGUNT SUIS LIBERIS PRO PANE LAPIDEM, ETC.

I. Lapidem pro pane dant: 1. Qui negant illis panem naturalem. 2. Qui alunt eos pane furtivo. 3. Qui non dant eis panem spirituale. — II. Serpentem pro pisce dant: 1. Qui intemperanter vivunt. 2. Qui diis eos devovent. 3. Qui nimis erga eos severi sunt. — III. Pro ovo scorpionem dant: 1. Qui ni-

miu liberis blandiuntur. 2. Qui ad placitum eis omnia concedunt. 3. Qui testamentum cum opus est non conficiunt.

### THEMA.

*Quis vestrum patrem petit panem, numquid pro pane lapidem dabit illi?* Luc. XI.

Dixi alias, dæmonem esse primum, qui hoc facere contendat hominibus, mortis præsertim in articulo. Dixi rursus, hæreticorum prædicantes esse, qui hoc faciant imperitæ plebi. Dico nunc amplius quid, parentes etiam ipsos esse non paucos, qui hoc faciant suis liberis. Horrendum est quod dico. De dæmone non mirum, quia is nil aliud quaerit, quam perditionem nostram. Nec miror de prædicantibus, quia ipsi de pane lucrando, de uxoribus et liberis cura et res est. Sed de parentibus quis non miretur? Sane Christus Dominus ita de iis loquitur in hodierno evangelio, quasi ejusmodi parentes nesciam inveniantur: *Quis vestrum, inquit patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi?* q. d. quis credat hoc facturum aliquem parentem? Atque utinam non invenirentur. Sed si accuratius inquiremus, forte ejusmodi parentes, non paucos inveniemus; uti nunc videbimus.

I. Lapidem pro pane porrigunt suis liberis parentes illi parum pii, qui primo, negant suis liberis panem naturalem; uti matres, quae cum commode possint, non alunt proprio lacte proles, quas in lucem ediderunt. Id certe videtur naturæ repugnare, si enim in utero suo aluerunt imperfectum, quod non viderunt: cur non alant sed nutriceibus tradant, quod jam vident vivere, jam hominem materna officia implorantem? Deinde, hoc est intercidere coagulum amoris, quo natura parentes cum liberis sociavit. Ecce etiam natura matribus turgere facit mammillas, et quasi lagenulas quasdam lacte replet, nisi ad nutriendas proles? Arguunt ejusmodi matres bruta animantia, quae cum magna inclinatione nutriunt fetus suos: arguunt, matres primorum sæculorum; Sara, Rebecca, Anna, mater septem Macchabæorum, Deipara, etc. quae proprio lacte filios aluerunt: arguit eos incontinentia, ejus se reas produnt, si absque causa liberos suos aliis dent nutriceibus. Maxime vero delinquent, cum eos dant nutriceibus improbis, impudicis, iracundis, temulentis, crudelibus aut morbo infectis, constat enim tales fere existere proles, quales fuere nutrices. Inde Titus Vespasianus filius semper infirma valetudine fuit, quod ab infirma nutrice lactatus: Tiberius Nero, magnus potator, ideo Biberius Mero vocatus, quia nutrice habuit vinolentam: Caligula crudelis et sanguinolentus, quod ejusmodi lac suxerit. Contra S.

Augustinus, in l. confes. fatetur se cum lacte matris, Dei cultum et venerationem hausisse.

Deinde, patres, qui post primum triennium non curant alere liberos suos, sed vel miseræ uxori onus hoc relinquunt, vel rem domesticam abliguriunt, vel omnino deserunt liberos suos. Similes hi sunt aquilæ, ut ostendit S. Basilius, hom. VIII. in hexa. quæ unam prolem tædio nutritionis abjicit e nido, tandem et alteram deserit. « Ejusmodi parentes, inquit Basilius, sunt in liberos præduri et inclementes, qui prætextu a paupertate quaesito suos infantes exponunt, aut certe iniquissimos se declarent patrimonio in filios partiendo. » Comparantur item merito struthioni de qua Job XXXIX. dicitur: *Dereelinquit ova sua in terra: obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios quasi non sint sui.* Siquidem ejusmodi liberi ita derelicti coguntur malis artibus se alere, unde pravus sociis se adjungunt et discunt ludere, furari, pejerare, etc. Quo fit ut non modo ab hominibus conculcentur, sed etiam a carnifice sæpe exterminentur. Viderint parentes, qui tam durum lapidem pro pane dant suis liberis. Certe aves, uti gallinæ, studiosissime alunt proles suas, et proprio ori subducunt escam, ut illis eam partiant: plures simul sub alas suas recipiunt et fovent. Erubescant igitur parentes, qui hoc negant liberis suis.

Secundo, qui porrigunt et procurant quidem eis panem, sed alienum, sed furtivum, aluntque eos ex iniquo mammona. Talem enim panem, non tam panem quam lapidem esse testatur Sapiens, Prov. XX. *Suavis est homini, inquit, panis mendacii, (id est, inique et cum fraude partus) et postea implebitur os ejus calculo,* q. d. initio quidem suavis est ejusmodi panis, quia aquæ furtivæ dulciores: sed tandem aliquando fiet lapis, quem non poterunt parentes et filii deglutire, cum strangulabit eos in judicio Dei.

Tertio, qui non procurant eis panem spirituale, disciplinam et institutionem bonam, sed pro ea dant eis libertatem agendi quidvis, et vivendi prout volunt: aut etiam institutores perversos. Dant hi, inquam, liberis lapidem pro pane, quia per hanc licentiam vivendi et libertatem duri, præfracti et lapidei fiunt, ut postea nullis artibus coerceri amplius queant. Ut enim equi, qui non frænantur a tenera ætate, præfractum os acquirunt, nec possunt amplius ad nutum equitis verti; uti ensis, qui non curvatur dum in igne mollescit, curvari dein ægre potest: ita et juvenus. Unde Ecclesiasticus *ut quis indomitus evadit dicitur, ita puer remissus evadit præceps.* Ecclesiast. XXX. *Neque dicitur parentes: Bonæ sunt indolis filii et filiae, non indigent cultura aut custodia; siquidem a malorum con-*

suetudo potest etiam bonis pervertere, et, ut sic dicam, angelos mutare in diabolos, si eos invenias debita institutione destitutos. *Optima quæque, inquit Plato, l. VI. de repub. sive natura sive fortunæ munera, si negligenter culta fuerint, in pessima tandem evadunt.* Ita enim Julianus imp. lac suxit piæ sinceræque doctrinæ, eandemque per adolescentiam tenuit: post tamen factus est peccatissimus, Theodoretus, l. III. hist. c. II. III. Non fidunt nautæ maris tranquillitati, quando parant solvere, sed quærunt remos, anchoras, clavos aliæque futuris tempestatibus necessaria præsidia. Tarde nimis injicitur frænum equo, cum jam incipit in præcipitia currere. Hirundinum ac passerum matres, quando earum pulli de nido volare primum cœperint, cum strepitu circa eos volitant, neque facile deserunt, donec tuto volare possunt, vocibusque piis testantur pericula filiorum. Ita mater S. Augustini sollicita admodum de filii conversione fuit, quem etiam Mediolanum usque secuta est, nec deseruit illum, sed innixelaboravit, ut facta cum Sancto Ambrosio consuetudine, ab eo reduceretur ad fidem veram et vitæ frugem, idque tamdiu donec salutem filii in tuto positam vidit. Similiter agant parentes, et imprimis filias suas a latere suo discedere non facile permittant, juxta consilium Sapientis, Eccles. XLII. *Super filiam luxuriosam (inverecundam item et leviculam) confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractone in civitate et abiectione plebis, et confundat te in multitudine populi.* Quod quidem non raro fit, cum parentes sponso tradere se existimant virginem: et paulo post vident tradidisse corruptam.

II. Serpentem pro pisce porrigunt liberis parentes illi sæviores, qui primo, intemperanter et male vivunt. Hi enim duplici modo, serpentino quasi veneno inficiunt suos liberos, malo imprimis exemplo, quando iis præsentibus erumpunt in execrationes, blasphemias, verba impudica, vel inebriantur, etc. siquidem hæc pravitate exempla tam facile arripiunt liberi, ac si a parentibus oblata, imo docta et mandata essent. Sic cum Petrus aliquando Judæis se junxisset, et cum illis Judaice vixisset, arguit eum Paulus quod exemplo suo gentiles, quos Christo jam peperat, cogeret judaizare, ad Gal. II. Itaque judaizans pater, hoc est, usurarius, irreligiosus, blasphemus, etc. judaizare cogit filios. Unde Plautus, in pseudolo dixit: *Idne tu miraris, si patrasset filius?*

Deinde, per generationem pravus inferendo inclinationes et communicando malam complexionem, ex qua velut insito veneno genimina viperarum prodeunt. Ferunt ex ovo ibidis pro-

dire basiliscum, quod avis illa venenum crebro devoret, Pier. l. XVII. hierogl. Eadem ratione ex intemperantibus parentibus, qui veneno vitiorum assuescunt, prodeunt pejores filii, juxta id Isa. XIV. *De radice colubri egrediatur regulus.* Ex iracundo vel temulento patre, iracundior vel temulentior filius: ex superba vel lasciva matre superior et lascivior filius. Unde Diogenes videns adolescentem mero stupidum et prorsus desipientem: *Adolescentule, inquit, temulento satus es patre, teste Stobæo.* Imprimis vero matres suas complexiones communiter transfundunt in liberos. Agrippina libidiosa Neronem filium habuit libidinosum: Heliogabalus obscenissimus matrem habuit Græcam meretricem: Salomon qui adulteram habuit matrem, mulierum plurimarum fuit adamator: Afra prius meretrix Hilariam sibi similem habuit matrem, antequam converteretur. Unde aliquibus in locis matribus avelluntur spurii liberi, ne mala educatione magis pervertantur; uti Romæ, ubi educantur in hospitali S. Spiritus, in monasterio S. Catharinæ de Funariis

Secundo, qui diis eos devovent et imprecationibus malis onerant, quibus instar serpentum venenum in eos expuunt. Præterquam enim quod liberi his execrationibus nihilo meliores evadunt, maximam inde perniciem hauriunt, partim dum aversos a se parentes vident, sicque avertuntur et ipsi ab eis, partim dum periculo eventus mali, quem imprecatio expressit, subjiciuntur, eo quod ejusmodi maledictiones sæpe efficaciam habent: et quod pejus venenum esse potest, quam devovere liberos diabolo, morti repentinae aut infami, pesti aut lepræ, etc. Inter pura exempla alibi recensita, notabile id quod S. Augustinus refert testis oculatus, de matre, quæ cum vidisset filios decem ex maledictione sua tremore membrorum percussos, doloris stimulis agitata, laqueo sibi guttur fregit, l. XXII. de civit. c. VIII. Quid vero de illis matribus dicam, quæ non solum devovent, sed reipsa tradunt dæmoni liberos suos et desponsant, sagos et sagas efficiendo? Quid hoc aliud quam liberis suis serpentem dare, serpentem inquam diabolicum? Quod unquam tam sævum animal repertum est, quod fœtus proprios exponat et prodat hostibus?

Tertio, qui nimis erga illos severi sunt et rigidi. Modus enim adhibendus, et ingenui præsertim liberi magis paternis blandisque monitis ac munusculis, quam metu clamoribus, minis et verberibus ad officium inducendi sunt. Sic enim monet apostolus ad Colos. III. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.* Bucephalus Philippi, post Alexandri magni regis generosissimus equus

eum durius tractatus esset, adeo sævus et præfractus est effectus, ut neque sessorem admitteret, nec vocem cujusquam pati vellet, ideoque inutilis judicaretur. Videns id Alexander et indignans quod tam ingenuum equum perdere vellent, accedens habena eum comprehendit et contra solem stare iecit, quod eum ex umbræ metu consternari animadverterat. Tunc demulcto paululum saltum arripiens insedit, eumque ad nutum vertit et ad cursum incitavit, adeoque obsequentem reddidit, ut herum insessurum sponte sua genua submittere exciperet, Curt. l. VI. Ita ingenui filii sæpe destruuntur nimia severitate, blanditiis vero vel saltem minarum remissione fiant obsequentes et morigeri.

Maxime vero hi peccant parentes, qui ad certum statum, verbi gratia, regularem vel conjugalem nolentes cogunt liberos. Imponunt enim illis onus grave nimis et faciunt eos quodammodo martyres diaboli, non aliter ac parentes illi, qui immolarunt filios suos idolo Moloch. Illi enim impellebant liberos suos in amplexum statuæ quæ eos brachiis suis retinebat donec cremarentur igne subjecto intrinsecus; interim pulsabatur tympanum, ne ejulatus eorum audiretur, et dicebant tunc parentes, raptum esse filium ad deum, cum raptus esset ad diabolum. Ita nimium parentes aliqui impellunt liberos in statum difficilem, unde illi referre pedem nequeunt, sicque cruciatos immolant diabolo, quos Deo se donasse putant.

III. Pro ovo scorpionem porrigunt parentes. Primo, qui nimium liberis blandiuntur. Ut enim scorpio facie blanditur, ex occulto interim cauda reflexa vulnerat: ita parentes, dum nimis blandiuntur liberis, venenum infundant. Ait enim Sapiens, Prov. XV. *Qui parvit virgæ odit filium: et Ecclesiasticus, cap. XXX. Lacta filium et parentem te faciet: lude cum eo et contristabit te: non corrideas illi ne doleas et in novissimo obstupescant dentes tui.* Obstupescant, inquam, in altero sæculo, cum videbunt liberos suos gehennæ addictos; vel etiam in isto, cum videbunt eos forte tradi carnificibus, qualis ille, quem mater valde indulgenter educavit, et cum ob scelera sua ad laqueum duceretur, dixit: *Non me iudex, sed mater mea e patibulo suspendit.* Apud Jansen. in XXIII. c. Prov. Verissime igitur hæc in re dici potest: *Qui amat filios suos perdet eos: et qui odio habet filios suos, in vitam æternam custodit eos.*

Secundo, qui quæ plausibilia quidem, noxia tamen sunt, eis dant vel concedunt, uti pecunias, vestes splendidas, arma, chartas lusorias, etc. Hæc enim initio blandiuntur et placent, in fine tamen pungunt et inficiunt. Quid enim hoc aliud, quam intricare illorum conscientias,

onerare dorsa sarcinis, occasiones præbere luxui et luxuriæ, vanitati, ignaviæ? Solent namque locupletum filii ab ipsa pueritia esse tumidi, fastuosi, præsumptuosi: contemnunt et derident inferiores, sibi omnia licere putant, luxu difflunt, nihil non audent, opes suas ad omnia sufficere putant: unde virtutes, artes et studia literarum negligunt, et hoc ipso ignava pecora fiunt. Quam vicissim obsequentes, humiles, obsequiosi, tractabiles, reverentes sunt filii pauperum vel mediocris fortunæ parentum, quia non habent unde extollantur? Hoc videns Theodosius imp. filios suos, Arcadium et Honorium, Arsenio tradidit imbuendos ea lege, ut si vitam et mores ad disciplinam et leges Dei componerent in imperio sibi succederent; sin minus, vitam privatam agerent, Egnat. Zonaras, etc. Melius et honorificentius igitur est liberis Marte proprio acquirere aliquid, quam hæreditario. Magnam partem thesauri a patre sibi relictum insumpsit Salomon in vanitates vanitatum; cantores et cantatrices, palatia et hortos, scyphos et urceos, etc. uti ipse testatur Ecclesiastes, c. II. Denique, sicut scorpio dicitur necare proprium parentem, auctore Plinio, l. XI. c. XVI. ita ejusmodi filii ditati a parentibus, injurias tandem pro gratia illis rependunt. Audiamus exemplum. « Pater quidam locuples, ait Joan. Paulus, in jocoseriis, filias honestissime elocarat, persuadent illæ misero seni uti vivus iis opibus sibi liberos devinciret, quas mortem ipsius avide expectantes post obitum hæreditate consecuturæ essent, id unum sancte pollicite de alimentis se patri prospecturas. Et primo quidem anno benigne et liberaliter ab illis tractatus est. Verum cum præter spem ipsarum diutius viveret, senis pertæsæ, pietatis et pactorum immemores durius illum tractare cœperunt: ille imprudentiam suam astu emendare volens, cistam saxi et arena plenam cubiculo suo clam inferri curat, eamque nocte aperiens nummum aureum unum aut alterum, quos solos ex tantis divitiis retinuerat, repetitis casibus mensæ incidentes continua supputatione, voce submissa, sic tamen ut a genero facile audiri posset, ad immensam pecuniæ summam produxit, et tandem capsam firmis clausit. Filiæ mane causam nocturni strepitus, consciis maritis, avide exquirunt. Et pater, remotis arbitris: Thesauri mei rationes mecum inire cœpi, filiæ, ut quam quæque vestrum de me optime merita fuerit tam quoque post obitum meum, cum vivo me æquales hæreditate fueritis, digna feratis præmia. Ea spe lactatæ æmulatione mutua omni officiorum genere patrem prosequi cœpere. Eo mortuo aperta cista, plenam saxi et arena reperere, cum ligneo fuste, cui lingua Britannica hæc insculpta erant:

Quod pietas non potuit, extorsit avaritia. Nolite, o patres, committere ut dum indulgentia vestra avaritiæ liberorum satisfacere cupitis, impietatis majoris occasionem detis. Exemplo meo prudentiores redditi valete, stulti fustuario pœnas luite.»

Sed quid de illis dicam, qui ducunt liberos ad compotationes, choreas, ludos? Procurant illis amasios vel amasias? Nonne hi scorpionum aculeos iis reipsa infigunt?

Tertio, qui cum possint ac debeant, non conficiunt testamentum ante mortem, cum adhuc sibi præsentis sunt, et ideo tricas et discordias perpetuaque odia causant inter liberos. Quid enim hoc aliud, nisi more scorpionis pungere in cauda seu vitæ fine? Ergo proinde agunt atque illi qui cæcis porcum mactandum dedisse dicitur, quem dum illorum quisque cædere contendit, semetipsos misere cæciderunt, vulnerarunt et mactarunt. Sic enim dum de patrimonio litigant liberi, cæci et incauti, suas interim animas et se invicem longe gravius mactant et conficiunt.

Viderint ergo parentes quid aliquando responsuri sint Domino Deo, si in proprium sanguinem tam sævi et crudeles fuerint, propriaque viscera depascere non dubitaverint: haud dubie non mitius tractandi quam parriidæ. Viderint et liberi ut hæc talia a parentibus oblata ne accipiant, nisi una cum ipsis æternum perire velint.

### CONCIO IX.

#### SANCTORUM INVOCATIO FIRMATUR.

I. Ostenditur ex Scriptura. — II. Ex ratione. — III. Ex usu et consensu Ecclesiæ. — IV. Ex miraculis.

#### THEMA.

*Amice commoda mihi tres panes. Luc. XI.*

Certum est, auditores, magnum nostrum amicum, ad quem jubemur ire in nostris necessitatibus, non esse alium quam Christum, qui ut amicus noster fieret, carnem nostram induit; unde Joan. XV. ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* Negari tamen interim non potest, esse nobis alios etiam, etsi minores amicos, quorum interventu ad magnum illum amicum nostrum possumus venire et omnia quæ volumus, ab eo impetrare. Hi vero sunt sancti Dei, Christo amicissimi, quos in litanis, his diebus invocamus ut ad magnum illum amicum nostrum facilius veniamus, et quæ postulamus ab eodem obtineamus. Sed ecce tibi turbam hæreticorum nostri hujus temporis, in hos amicos arietantiump. Asserunt enim isti stultum esse et impium, sanctos invocare. Impium, quia hoc pacto Deum suo

honore spoliamus eumque sanctis impendimus: et ita tot deos fingimus, quot sunt templorum turres. Stultum vero, quia, ut ludit Calvinus, sancti non habent tam longas aures, ut preces nostras audire possint et præterea mortui sunt, uti ab ipso vocantur.

Sed revera miseri hæretici, qui hæc talia dicunt, stulti sunt et impii, uti palam fiet.

I. Ex Scriptura, quam quidem iactant hæretici nullibi præcipere sanctorum invocationem. Esto hoc quod dicunt: sed dicant ubi eam vetet. Si non vetat, ergo concedit juxta regulam juris. Verum sanctos orare pro vivis ostenditur primo, Jer. XV. ubi dicitur: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: Hebr. si stabit.* Ergo stare poterant ad orandum pro populo. Alioquin imperita locutio foret, velut si diceret: Si mortuus pro illo oret, vel brutum, non faciam. Dices, reclamare huic expositioni Isaiam, c. LXIII. ait enim: *Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos.* Respondeo patres in limbo positos, de quibus utroque loco citato est sermo, non cognovisse res mortalium, utpote in obscuro et extra Dei conspectum positos, ideoque in specie pro hoc aut illo non orasse; orasse tamen in genere pro omnibus fidelibus. Quare Isaias asserit, frustra invocari patres in limbo positos; ut qui nostras ærumnas nesciunt. Jeremias vero ait, si Moyses et Samuel in specie orent pro populo suo, non audiendos.

Secundo, II. Macch. XV. dicitur Jeremias jam vita functus apparuisse gloria et decore mirabilis et multum orasse pro populo: *Hic est fratrum amator et populi Israel hic est qui multum orat pro populo et universa s. civitate, Jeremias propheta Dei.* Quem locum pro invocatione sanctorum citans Origenes, tom XVIII. in Joannem: « Apparet, inquit, sanctis, qui ex hac vita emigrarint, curam esse de populo, quemadmodum in Macchabæorum gestis scriptum est, postquam plurimos annos ab obitu Jeremiæ: Hic est Jeremias Dei propheta, qui multum orat pro populo. » Sed respondent hæretici et imprimis Calvinus hoc loco pressus, librum Macchabæorum non esse canonicum. Non miror, solent hoc facere et aliis libris qui sibi adversantur, ut epistolæ S. Jacobi. Verum eum canonicum esse docet Concilium Carthaginense tertium, can. XLVII. Conc. Trid. sess. IV. Innocentius primus, Gelasius et alii, quibus major utique fides habenda.

Jam si orant pro nobis sancti, qui vetat eos invocare? Sane Jacob patriarcha invocavit angelum suum, additque invocandum nomen suum (siquidem et ipse sanctus erat) et nomina patrem suorum Abraham et Isaac, Gen. LXVIII. *Angelus, inquit, qui eruit me de cunctis malis,*

*benedicat pueris istis et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, etc.*

II. Ex ratione. Si enim invocare eos nefas aut supervacaneum est, id fit, vel quia necessitates et preces nostras ignorant, vel quia suo patrocinio nos juvare nolunt, vel quia licet vellent juvare, non possunt, vel quia illorum invocatio in honoris divini detrimentum cedit. Sed nihil horum obstat; ergo neque nefas, neque supervacaneum erit nos invocare.

Non primum: *Quid enim illi non vident, qui omnia videntem vident?* ait S. Gregorius, II. mor. cap. III. Et sane miseriiores essent viventibus, si illis occultarentur, quæ ad ipsos pertinent. Legimus enim Moysi, Elisæo, Samueli, Ahie, et aliis a Deo revelata esse absentia, quæ ipsos tangebant. Vel ergo preces viventium vident ipsi in Deo, ut vult S. Thomas, II. II. q. LXXXIII. art. IV. vel certe cognoscunt per revelationem.

Non secundum, quia fratres sunt nostri, nec charitatem deposuerunt, quemadmodum spem et fidem, sed perfectiorem sortiti sunt. Nonne epulo ille evangelicus inter medias inferni flammæ, suorum fratrum meminit et pro illorum salute Abrahamo supplicavit, Luc. XVI. ne in eundem tormentorum locum venirent? Ergo injuriam facit sanctis qui illos hæc ex parte immittiores illo et deteriores facit. Deinde, si cum adhuc in vita peregrinarentur, de fratrum suorum salute erant solliciti, uti Moyses, qui deleri de libro vitæ, et Paulus, qui pro suis anathema fieri paratus erat; quanto magis, cum jam extra periculum in secura statione sunt? Qui cum aliis navigasset per ingentia pericula et naufragio ereptus portum subiisset, si sociorum adhuc in mari fluctuantium curam omnem deponeret, eosque periclitantes aspiciens minime juvaret, quid de illo diceret? Nonne crudelem vocares? Propterea inhumanus habitus est pincerna Pharaonis, eo quod eductus e carcere interpretis et socii sui Josephi adhuc in eo detenti memoriam abjecisset, Gen. XL. Scimus etiam Moysen injunxisse Rubenitis et Gadditis, ac Iudidæ tribui Manasse, qui suam possessionem jam acceperant eis Jordanem, ut juvarent fratres suos Jordanem transituros, donec et ipsi requiem et possessionem suam caperent; scirent alioquin se graviter peccaturos, Num. XXXII. Idemque replicavit Josue, cap. I. Jos. Unde illi paratissimo animo opem eis tulerunt.

Non tertium, quia cum sint Dei amici et magni apud eum meriti, ut qui pro ejus honore strenue pugnarunt, quomodo ab eo nil poterunt impetrare iis, quibus bene cupiunt? Quomodo verificabitur illud Psalmi CXXXVIII. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum?* Bene ergo S. Chrys. serm. in

Juv. et Maxim. scripsit: « Sicut milites vulnera in prælio sibi inflata regi monstrantes, fidenter loquuntur; ita et illi (Juventius et Maximus) in manibus absecta capita gestantes et in medium afferentes, quæque voluerint, apud regem cœlorum impetrare possunt. » Ad hæc si poterunt suis precibus opitulari aliis, cum adhuc ipsimet in vita infirmitate circumdarentur et aliorum ope indigerent, quanto magis hoc poterunt cum in cœlo regnant innocentissimi et Deo conjunctissimi.

Non quartum, quia oratio quæ fit ad sanctos, terminatur in Dei cultum; unde nihil illi demitur, sed potius additur major quædam gloria, quando videlicet homo, velut reus timens obsecrare Deum, adhibet deprecatores Deo charos. Qui dum suam indignitatem agnoscit, nonne Dei magnitudinem amplificat? Ad hæc nemo neget, regi esse gloriosius, cum ipsi ejus aulici vel familiares pro aliquo deprecatum veniunt, quam cum vilis homo supplicat. Porro maxima est diversitas inter invocationem Dei et sanctorum. Illum enim invocamus ut auctorem gratiæ et honorum omnium; hos præcise ut intercessores; (dicimus enim Christo: *Miserere nobis*; sanctis: *Orâ pro nobis*): qui honor tantum abest, ut divinus sit, ut Deo convenire nequeat, cum involvat imperfectionem. Ad hæc non derogatur Deo honor cum viventes orant pro viventibus; (sic enim apostolus petiit adjuvari fratrum orationibus, uti Rom. XV. Col. IV.) ergo nec cum beati orant pro militantibus. Sed derogamus, inquit, Dei scientiæ et bonitati, quasi per sanctos primum debeat intelligere nostras calamitates et moveri ad opitulandum. Ridiculum est hoc. Sic enim nec ipsi pro nobis Deum orare deberemus; siquidem non aliter invocamus sanctos, nisi ut faciant hoc, quod nos facimus, quia melius et efficacius id facere possunt. Nec etiam possemus petere panem a parentibus, scientiam a doctoribus, a medicis medicinam; quia scimus hæc dona a Deo, tamquam a primo et æcipuo fonte fluere.

Neque per hoc Christo quidquam derogatur, quasi præter ipsum constituamus alios mediatores inter nos et Deum. Christum in hoc sensu solum agnoscimus mediatorem, quia nimirum ipse solus nos redemit, solus suis meritis Patri reconciliavit, et precibus ac operibus aliorum vim merendi tribuit. Nihil horum sanctis tribuimus, etiam cum eos mediatores appellamus. Auctoritatem tantum illis attribuimus pro nobis interveniendi, a Christo profectam eisque communicatam, ita ut quidquid impetrant, non nisi per Christum impetrent: id quod Christi gloriam amplificat, non diminuit. Itaque sicut